

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Cogitacio b  
cum fonte primo

In illa tantum cogitacione peccatum est  
que suggestioni consensum mentis dedit,  
que malum suum blande fouet,  
que in factum gestat irrumperere.  
Huius cogitacio eciam si ex aliquo  
impedita casu non impleat uoluntatem,  
nichilominus actione criminis condemnatur  
a Domino, ut illud in euangelio legimus:  
Qui uiderit mulierem ad concupiscendum  
et cetera.

Ieronymus ibidem (in epistola ad Demetriadem).

In illa ergo tantummodo cogitacione peccatum est,  
quae suggestioni consensum mentis dedit:  
quae malum suum blande fouet:  
quae in factum gestit erumpere.  
Huiusmodi, cogitatio etiamsi ex aliquo  
impedita casu, non impleat uoluntatem,  
nihilominus actione criminis condemnatur  
a Domino: ut illud in Euangelio legimus:  
Qui uiderit, inquit, mulierem ad concupiscendum  
eam, jam moechatus est eam in corde suo  
(Matt. v, 28).

Pelagius, *Epistola ad Demetriadem*, 1.27 (PL 30,  
col.41D).